

MEDITATIO

Militis Christiani cordati, & simul pij.

Dedicata

SERENISSIMO POTENTISSIMOQ
PRINCIPI ac Dño. Dño. SIGISMUNDO Tertio, Regi Po-
loniæ & Sueciæ &c. nec non ejusdem Reg. Mtis Supremis Exercituum
Regni, & M. D. Lith. Ducibus, Equitum & Peditum Præfectis, Cen-
turionibus, alijsq; Militibus Sac. Reg. Mti, & Reipub. communi
in Bello Livonico operam militarem navantibus.

MILES LOQVITVR.

Sunt tria, quæ de te, magni Rex maxime mundi,
Summe Deus, summa speq; fideq; peto.

I.

*Justitia mili-
taris.*

*Ne sitiam, spolia, innocuo de sanguine, rapta:
Sontis, & insontis, sit mihi Lex posita.
Parcere Subjectis & debellare rebelles,
Principis officium nobile semper erat.
Religio Patrum quæ sacros struxit in usus
Templa, Scholas, fundos, dilacerare scelus.
Vastare Agricolas, miscere incendia passim,
Omniaq; in cinerem vertere testæ, nefas.
Fœmineo in sexu vim casto inferre pudori
Ne mea mens ausit, tu prohibeto Deus.
Non me divitiæ, non me spes improba nummi,
Contra te jubeant castra nefanda sequi.
Sed pro REGE MEO in causa dum milito justa,
Dulce sit in Bello vivere, dulce mori.*

II.

Mors militaris.

*Siq; mori certum sit: det mihi gloria finem:
Sit mihi cor præsens, absit inersq; timor.
Ibo omnes contra, qui miscent fasq; nefasq;
In REGEM Quidem Bella parare suum.
Qua mente ò miseri pugnabunt? REGE relicto
Castra quibus placuit nunc aliena sequi?
Conscia mens culpæ injustis timet omnia in armis:
Nulla sibi rectè conscius arma timet.
Vna salus Bello mihi sit, præstantibus ausis
Vivere, vel læto vulnere posse mori.
Sit vir: non puer imbellis: sit fortior heros:
Qui me lethali vulnere sternat humi.*

III.

*Sepulchra milita-
ris.*

*Da Deus, ut moriens victo palmam assequar hoste,
Eq; mea celebris morte triumphus eat.
Exanimum corpus sine vita & triste cadaver,
Non canibus rabidis, non sit & esca feris:
Sed socios inter cæsos, & mille meorum
Corpora, sit tumulus, sit mihi terra quies.
Influctoq; fluens è vulnere sanguis, odoras
Ex terra violas proferat, atq; rosas,
Hoc versu pictas: Hic militis ossa Poloni,
Et pro REGE suo quæ tulit, arma vigent.
Posteritas canat hæc: Animam sed Christe receptam
Æterna facias prosperitate frui.
Sac. atq; Serenis. Reg. Majest.*

Fidelis in Livonia
Subditus, & Secret.

Daniel Herman Borussus, Virtuti,
pietati, & fortitudini Heroum,
Duceum & præstantium militū
hoc militare Votum F.

RIGÆ LIVONVM

In Officina typographica Nicolai Mollini Anno 1601.